Theologia

Kłodawski Paulini: Mariologia seu Conclusiones ex angelica salutatione Deiparae Virginis depromptae.

D. O. M. A.

MARIOLOGIA
SEV
CONCLVSIONES
EX ANGELICA SALVTATIONE
DEIPARÆ VIRGINIS DEPROMPTÆ.
Sub Auſpiciis

Jlluſtriſſimi Principis & Reuerendiſſimi Dñi,
D. MARTINI SZYSKOWSKI,
Epiſcopi Cracouienſis, Ducis Seuerieñ.
Publicè
Propugnandæ.

A
Fr. PAVLINO KŁODAWSKI FF. Erem. Ordinis S. PAVLI primi Eremitæ Profeſſo.

In claro Monte CZESTOCHOVIENSI Anno Domini 1626. Menſis Die

Præſidente V. Patre
F. GASPARO BIEDRZYCHOWSKI
Ordinis eiuſdem S.T. Doctore.

CRA- COVIÆ | Typis Cæſarianis. | An. 1

a.

IN STEMMA.



QVod Sydus cui talis honos? Insigne salutis
Crux, inter, Lunæ, cornua versa, nitet.
O virtutis Opus, sociâ Pietate triumphans
Quàm tua, Præsuleâ, Stemmata digna, domo.
Luna ruinosas vitij, diuerberat vmbras,
Crux non ambiguam, monstrat ad Astra, viam.

JLLVSTRISSIMO PRINCIPI
ET
Reuerendissimo Domino, D.

MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia
EPISCOPO CRACOVIENSI,
Duci Seueriensi.

SALVTEM ET PERPETVAM FELICITATEM.

NOVIMVS iam bellè, Princeps JLlustrissime, gentilitium Sydus Tuum, sic esse honorum illustre splendoribus, vt nihil è terris addi amplius posse illi videatur: atq; ideò infirmis licet at non Dædaleis studij Mariologici exciti pennis, nouam è cœlis ad Tuum tam eximium splendorem, traximus claritatem. Ergo ne vt Prometeus quondam reuecti gratiam ignis? absit. Quid igitur? Cælestem illam, æternum lumen & Solem iustitiæ enixam, Lunis tuis iungimus Lunam. Complebit perenni

illa crede ignes coruſcum æternabit tam diu lumen, quàm diu radiis illa ſuis Tuas colluſtrabit faces. Quare polum humanitatis Tuæ indue ſerenum, nobiſq; qui lucentibus inextinctis hiſce luminibus pro aris populiſq; Diuæ huic commendatis vigiles agere conamur excubias; faue. Ibimus nec enim dubito luce traduce iſta, caliginis ſecuri inoffenſo pedę, vmbras liuoris vitabimus horridas, & malos Stygis dolos, quos fraude Tænaria ferus ſtruit Orci Satelles. Vale felix & viue diuturnus.

Illuſtriſsimæ Celſitudinis Veſtræ

Seruus in Chriſto humillimus.

Fr. Paulinus Kłodawski,
Ordinis Sancti Pauli primi
Eremitæ Profeſſus.

MA-

MARIOLOGIA
SEV
CONCLVSIONES
EX ANGELICA SALVTATIONE
Deiparæ Virginis deprompta.

AVE

I.

SAcrosanctum Incarnationis Dominicæ secretum, potuit Deus immediatè per se ipsum Virgini reuelare, ne tamen in hoc Diuinissimo mysterio, quod in communem omnium salutem institutum est à communi ordinationis lege, secundùm quam mediantibus Angelis Diuina ad homines perueniunt, recederet; conuenienter huius legationis functionem Angelo demandauit, qui Virgini quòd Christum esset conceptura, annuntiaret.

II.

An vero hæc reuelatio ex parte Virginis necessaria fuerit? non dubito. Expressam enim & distinctam fidem de hoc licet habuerit mysterio, non tamen certò sibi constabat, vtrum in ipsa, & per ipsam, hoc perficiendum fuerat, quia cùm humilis erat, non tam alta de se suisq; meritis cogitabat.

III.

Angelus Incarnationis Dominicæ nuntius, non fuit ſupremus ex ordine Seraphinorum, Archangelorum tamen Princeps extitit, qui ad annuntiandum ſupremum omnium myſteriorum nec inferior mitti debuit. Veriſimile autem eſt eundem Angelum, ad inferiores etiam legationes miſſum fuiſſe: ex quo nulla infertur inconuenientia, omnes enim legationes quæ de hoc Angelo leguntur, ad hoc Incarnationis myſterium vt Sancti obſeruant Patres ordinabantur.

IV.

Commodè ab Angelo Virgo Beatiſsima de Conceptione Diuina inſtrui potuit. Licet enim dignitate Matris Dei, ad quam Diuinitus eligebatur Angelos ſuperabat, fuit tamen illis quantum ad vitæ præſentis ſtatum inferior. Congruum fuerat vt per Archangelum Gabrielem, qui fortitudo Dei dicitur, hoc legationis ſecretum deferretur, quòd tum Deus maximè fortitudinem ſuam oſtenderit, cùm mortalem & infirmam hanc carnem, aſſumpſit.

V.

Corpus Angeli, non ſolum fulgens, ſed etiam pulcherrimam eius & ab omni tenuiſsima corporis mole liberam ſubſtantiam, oculo mentis videri à Beatiſsima Virgine potuiſſe, authoritate Sanctorum Patrum adductus, non improbo; cùm enim hoc multis Sanctis in hac mortali vita conceſſum eſſet, cur non potiùs Matri Dei hæc tribueretur prærogatiua? nec in hac potius ſalutatione quam alio tempore? Conuenie-

ueniebat tamen magis, vt cum inuisibilis Deus visibilem assumpturus carnem veniret: & inuisibilis Spiritus in forma visibili id nuntiaturus appareret. Huius corporis humana necessaria fuit forma, ex elementari formata materia.

VI.

Turbationem à Virgine, quam quidam infirmitate corporis turbati in ea assignant, cùm mens ipsius ad videndum rem insolitam, & ordinis præsertim superioris eleuata esset, ego arceo. An ne debilitas & indeliberata rationis motio in ea locum habere potuit, quæ fortitudinem & sapientiam ipsam, mundo editura fuit? si ergo turbata fuit, certè non in visione sed admiratione rerum ab Angelo sibi delatarum: humanum enim excedebant ingenium.

VII.

Ante discessum Beatam Virginem Christum concepisse communis affirmat sententia, cum hac & ego. Illis verò qui asseuerant immediatè statim post verba illa *Dominus tecum*, Verbum incarnatum fuisse, non annuo. Quorsum enim ex Angelo quæsitum fuisset, *Quomodo fiet istud*, quod factum esse affirmant? Tunc ergo concepit quando verbis illis *Ecce ancilla Domini*, humillimum præbuit consensum.

VIII.

Aue, in fronte salutationis ad Beatam Virginem factæ, idem significat quod Gaude vel Lætare, Diuina tamen prouidentia factum esse arbitror quòd interpres salutationis huius hac voce potiùs quam alia vsus

vsus fuerit. Indicat hoc Deiparam omnes calamitates quas Eua in mundum inuexerat, in æternam commutasse felicitatem, & à Væ omnis peccati, aliarumque calamitatum, quas illa humano intulerat generi, singulari Dei priuilegio immunem fuisse.

MARIA

IX.

Honorificentißimum nomen hoc Mariæ casu esse omissum dicere non audeo, qui casus in Spiritibus Beatis & indeliberatas voluntates non agnosco, sed id Diuinæ prouidentiæ adscribo. Venerandum enim nomen hoc Spiritus purißimus reticere potius, quam illud non pro dignitate & iusta excellentia proferre, debuit. Quanquam & illos non reprehendo, qui maius illi nomen quod meritis sibi suis comparauit cælo ab Angelo allatum fuisse volunt: Gloria siquidem ex suo certißima ex alieno vulgaris & aliena.

X.

In aßignando hoc nomine Mariæ, eximium Diuini amoris apparuit signum. Recte igitur Maria vtpote Domina, Mirrcha, Mare, illustrata seu illuminata appellatur. Dominium eius supra omnem quæ sub Deo est creaturam extenditur. An non hæc Domina cui Dominus dominantium subditus esse voluit? cuius vniuersa terra proclamat imperium & veneratur principatum? an hæc non Domina, quæ speciale

ciale quoddam ius à Filio sibi in omnes res creatas concessum possidet? Decet Matrem eos quæ filij sunt possidere: & cum à Domino honoretur, à subditis cur nō adorabitur? obmutescat ergò impudens fæx Caluini desinant sacrilegæ sibillare Viperæ, quæ illam de solio istius dignitatis contenduntdeturbare.

X I.

Mirrcha cum propter amaritudinem sit mortificationis symbolum, non immeritò tribuitur Deiparæ, quæ castissimum & innocentissimum corpus suum variis tractabat asperitatibus. Sed obsequentissimum corpus spiritui habuit, nec contrariam in carne sua spiritui legē sensit; cur ergò mortificationibus passiones quas non habuit reprimebat? vsa est externis mortificationibus nō vt indigeret, at vt vera Christi sectatrix esset, nosq; exemplo suo mortificationes eius in corpore nostro circumferre, edoceret.

X I I.

Mare dicitur & conuenienter, nonne vt mare omnium fluminum & fluuiorum est origo? ita illa post Christum omnium diuinorum donorum; audacter dicere possum eam plures gradus gratiæ adeptam fuisse, quàm sit in cælestibus Spiritibus & Sanctis omnibus, etiamsi omnia eorum merita, in vnum, collectiuè sumpta, aceruum conferantur. Ergò Matrem Christus plus dilexit quàm Ecclesiam? ita censeo; si per Ecclesiam reliquum corpus absque Virgine intelligatur quæ vniuersas eius partes simul sumptas admirabili sua transcendit præstantia & gratiæ amplitudine.

XIII.

Mariam non tantum amarum mare ſed etiam amariſsimum meritò dico, quia innumerabiles dolores ad crucem Chriſti in animo pertulit. Certè dolor Chriſti dolor fuit Mariæ, & mors Filij Matri mortem, Diuino niſi ſingulariter munita fuiſſet auxilio attuliſſet. Vnde violentam mortem licet non ſubierit Martyrij: attamen Aureola iure decoranda, cùm mors ad quam in proxima fuit cauſa, in illa diuinitus ſit impedita. Præter aureolam Martyrij, Virginitatis illi ſuperaddo. Prima ex omnibus voto ſe tantæ mancipauit virtuti, & glorioſam Deo ſe dicandi præferens alijs facem, præſcripſit rationem.

XIV.

Illuminatam ſeu illuminatricem nec falsò aſſeuero, propter multiplex quo illuſtrata fuit lumen. Profectò lumen fidei nullus habuit, illâ perfectius; cùm nullum vnquam metum etiam primo primum, dubitationis ſenſerit, & omnia myſteria quæ ad Diuinitatem & Humanitatem Chriſti pertinent, perfectiſsimè crediderit. Calumniam mendacis Eraſmi ab illa repello, qui filium ſtatim ac peperit, eam non adoraſſe impiè contendit. Anne Elizabeth felicior Matre Dei? quæ in vtero adhuc Mariæ Deum agnouit & adorauit? Mariam verò hoc neglexiſſe, quis niſi amens & ſtultè & pertinaciter inficias ibit?

XV.

Viſione actuali beatifica quod in hac etiam mortali vita ad breue tempus Deum viderit, non impoſſibile eſſe omninò puto, licet enim mortalitatis ſtipendia

pendia merebatur, tamen cum hæc prærogatiua multis aliis concessa fuerit, cur non potius augustissimæ Dei Genitrici concedi potuit? Scientiæ super infusæ claritate non caruit, qua perfectè Deum & creaturas intelligebat, bona amplectenda, mala fugienda noscebat. Hoc Scientiæ superinfuso dono cum ad docendum alios vsa fuerit, Aureolam quoq; Doctorum meruit. Scientiam rerum naturalium etsi habere potuerit, in illa se tamen cum statum eius non deceret, non exercuit.

GRATIA PLENA

XVI.

Plenitudinem gratiæ Beatę Virgini attribuo, non eam quæ in Christo fuit, sed quæ eam vt Matrem Christi decuit, cuiusque tam excellens ac singulariter Deo coniuncta creatura capax esse potuit. Hauriat ergò ex hoc fonte creatura & perfundatur rore gratiæ eius peccator, quæ vt multitudine meritorum omnem superaret creaturam, ita & prærogatiua gratiæ omni rei creatæ præponeretur, erat necesse. Hinc de æqualitate meritorum eius cum aliis Sanctis, absurdum absurdi dogma Lutheri respuo. Quis enim tam excors, vt Matrem mancipio faceret æqualem? quis tam iniurius? vt non plus se Genitrici propriæ quàm seruo suo debere affirmaret?

XVII.

Prima Sanctissimæ Dei Genitricis ad Gratiam, Gloriam, & dignitatem Matris Dei, electio potuit esse in Deo gratuita, & omnino independens à meritis præuisis imò de facto fuit. Prius tamen secundum rationem nostro intelligendi modo, ad dignitatem Matris Dei, quàm ad tantam Gratiam & Gloriam. Ideò enim ea ad tantam Gratiam & Gloriam prædestinata est, quia & in Matrem electa. Electio hæc ad Maternitatem Gratiam, & Gloriam per se & absolutè ante præuisum originale peccatum, fuit omninò perfecta.

XVIII.

Gratias gratis datas dici volo, quæ gratis dantur, non quia gratia gratum faciens gratis non detur, sed quia hoc solùm habeant, cùm gratum non faciant. Horum nouem genera cùm sint, nullum Deiparæ detraho, Cùm enim propter confirmationem fidei seu spiritualem aliorum profectum dantur: certè per Matrem suam Christus fidem maximè confirmare potuit, quæ in id toto vitæ tempore incubuit, vt filij sui exemplo alios ædificaret, vt de facto ædificauit.

XIX.

Gratia sanctificans ita in Virgine fuit vt in ea & post incarnationem proficere potuerit, & de facto profecerit. Eius augmentum omnibus & singulis humanis actibus à voluntate & ratione pendentibus merebatur, non tantum vigilando sed etiam dormiendo,

miendo, propter scientiam infusam qua sine conuersione ad phantasmata vti potuit.

XX.

Hoc idem augmentum ex opere vt aiunt operato consequebatur. Nam aliquibus Ecclesiasticis Sacramentis vsa est, præsertim Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Sacramento Ordinis vti non potuit, illius namque ob fæmineum sexum capax non fuit, vsum Pœnitentiæ ab ea omninò excludo & Sacerdotem qui supra Virginem verba illa *Ego te absoluo* protulisset, sacrilegij condemno. Extremam similiter vnctionem aut certè illius vsum, quod supponit peccati labem, Virgini minimè fuisse necessarium censeo.

XXI.

Matrimonium Virginis cum Iosepho non fuit Sacramentum, quia nondum erat illius Sacramentum institutum. Ita tamen fuit verum vt oppositum asserenti aliqua saltem temeritatis nota inuratur. Hoc tamen intelligendum est quoad primariam Matrimonij perfectionem, quæ in animorum coniunctione indiuidua consistit, non quoad secundariam in operatione secunda per quam suum finem consequitur. Nam taliter non fuit consumatum, quia ex illo proles non fuit generata, habuit tamen Virgo eam perfectionem in prolis educatione.

DOMINVS TECVM

XXII.

Deus qui in aliis est creaturis tribus modis in Virgine fuit quarto specialiter modo scilicet per identitatem. Probabile enim est aliquam Virginei corporis substantiam, ex qua fuit Christi corpus, & in principio constitutum & postea auctum, quamdiu sanguine vel lacte matris nutriretur, fuisse hypostaticæ Verbo Dei vnitam, & nunquam postea demissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conseruatam Verbo Dei.

XXIII.

Nouem continuis mensibus in sanctissimo Virginali vtero Christus requieuit. Vnde & Virgo est naturalis Mater Christi, & Christus est verus & naturalis Filius sanctissimæ Virginis. Nam licet ex parte operationis Spiritus Sancti natiuitas eius miraculosa fuerit, & supernaturalis, ex parte tamen Matris naturalis fuit.

XXIV.

A relatione maternitatis qua Virgo mater respicit Christum realitas sine temeritate excludi non potest. Est enim realis & eiusdem speciei cum aliarum matrum relationibus. Quia Virgini idem concursus quem aliæ matres in interna ac substantiali filiorum con-

conceptione ac generatione habere solent, in conceptione & Natiuitate vnigeniti sui non defuit.

XXV.

Filiatio qua Christus Matrem respicit non potest esse realis relatio, sed rationis tantum, quia respicit personam æternam quæ relationis temporalis & realis subiectum capax non est, eo quod relatio quæ ex tempore de Deo dicitur, non ponat in ipso Deo æterno aliquid secundùm rem sed secundùm rationem tantùm.

XXVI.

Relationes Matris & Filij in Christo morte non sunt extinctæ, sed etiam nunc in Christo & Virgine perseuerent, vnde dignitas Matris Dei morali saltem considerata modo, manet semper in Deipara, quæ minimè etiam in triduo mortis Christi imminuta fuit. Licet enim tunc non esset hic homo quem beatissima genuerat Virgo, verè tamen erat ille quem genuit, habens vnitas sibi partes illius humanitatis quas ex Virgine accepit, quod ad dignitatem maternitatis dictam morali conseruandam modo sufficit.

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS

XXVII.

Benedicta fuit quia omni maledictione nemo vnquam mortalium exceptus sola ipsa caruit. A sorde pec-

peccati originalis mundissima nullam labem ex primis contraxerat parentibus, nam singulari Dei priuilegio ex generali humani generis captiuitate erepta est. Æquum profectò erat vt quæ Stygij serpentis caput contritura esset, eius seruile nunquam pateretur iugum: æquum erat, vt quæ gratiam paritura esset, nunquam gratia destitueretur.

XXVIII.

Peccati cuiusuis actualis ne minima quidem in Virgine Beatissima suspicio, vnde impudentem Caluini calumniam pudicus purissimæ Virginis cultor damno, qui Beatissimam Virginem peccati accusat quod Christum amiserit, cùm nobis silentibus Euangelium ipsum ab hac eius turpi blasphemia eam excuset. Concludo itaque Deiparam non à mortali tantùm sed etiam ab omni vel leuissimo veniali immunem fuisse, & totum vitæ suæ spatium absque vlla macula expediuisse.

XXIX.

Potentiam ad peccandum in ea quæ visione beatifica & vnione hypostatica tantum tollitur, amori eius impeditam non asseuero, licet enim intensè Deum diligebat, cessare potuit. Fomitem ab ea abalieno. Istene tyrannus aliquid iuris aut tributi in ea habuit, quæ non tantùm libera sed etiam regina fuerat & Regem regum genuerat? Extinctum autem aut ligatum non concedo, sed nunquam fuisse in ea religiosus & veritati consonus dico, quomodo enim is extingui aut ligari potuit qui nunquam fuit. Nulla ergo

ergò carnis bella eam afflixerunt; cùm enim originale peccatum parens fomitis in ea non fuit, nec Filius esse debuit.

XXX.

Post conceptionem pulchritudinem more aliarum prægnantium & nutrientium non tantùm non amisit, sed ita adauxit, vt etiam à castissimo sponso suo Iosepho præ nimia pulchritudine in partu, qua fuit adornata, videri non potuerit. Forma tamen eius nulli ad inordinatum motum præbuit ansam, imò reprimendi in alijs libidinosos affectus, virtutem habuit efficacem.

XXXI.

A lege cum dolore pariendi, & ex viro concipiendi excepta simpliciter fuit. Benedicta enim cum esset, quomodo eam hæc lex maledictionis & culpæ per peccatum illatæ, sub qua nunc mulieres pariunt vexaret? mortua omni debito pœnæ in purgatorio persoulendæ carens, in cœlum statim sublata est, corpus quoque tertia die, vt probabilior putat opinio, post dormitionem assumptum, nec in cineres resolutum, nec vermium morsus pertulit. Si enim mundi Reginis multa conceduntur priuilegia, quidni credamus inter alias multas hanc etiam Reginæ cœli à Deo prærogatiuam esse concessam? cur etiam hæc caro corruptionem pati deberet, per quam redemptio & integritas nostra est restituta?

ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI.

XXXII.

Virgo Diuinissima benedictum hunc ventris sui fructum, huic mundo edendo florem Virginitatis non amisit, sed integerrima prorsusque incontaminata permansit, quia ex sola Spiritus Sancti virtute, & operatione Christum Dominum concepit, vnde absque omni dubio asserendum est, Matrem Christi semper Virginem fuisse, non solum in corpore, sed etiam in anima propter summam & integerrimam Virginitatis perfectionem.

XXXIII.

A principio vsus rationis habuit firmum propositum, seruandi perpetuam Virginitatem ex motione Spiritus Sancti, à quo statim ab infantia mota est, vt quod melius ac gratius Deo esset adamaret, & quantum in ipsa esset perficeret. Hoc propositum seruandæ Virginitatis adhuc ante desponsationem cum Iosepho absoluto firmauit voto, & non conditionato sub ea scilicet conditione si Deo placuerit; nam tale votum parum à desiderio (quo plus aliquid Deipara habuit) differt.

XXXIV.

Benedictum hunc ventris sui fructum edidit mundo

do ſine vlla Virginei corporis dilatione, immutatione, aut iniuria. Nam ad eum modum ex vtero Virginali Christus eſt egreſſus quo exiuit de ſepulchro vel ingreſſus ad diſcipulos ianuis clauſis non tranſiliendo, nec dilatando, aut immutando, ſed ſimpliciter penetrando interiacentia corpora ſimulque cum illis in eodem loco exiſtendo.

XXXV.

Ad formandum hunc ſacroſanctum in Virginali vtero ſuo fructum, miniſtrauit materiam non ex menſtruo ſanguine qui imperfectus eſt, & quodammodo ad corruptionem tendens, ſed ex puriſsimo qui tum ob ſingularem Virginis temperiem, tum ob ſingularem Spiritus Sancti prouidentiam talis fuit. Si Chriſtus corpus acciperet ex Virgine formando illud ex coſta v. g. aut alio ſimili modo non magis poſſet Virginis appellari filius, quam Eua dici filia Adæ. Licet autem in ipſa Chriſti conceptione actiuè nihil operata eſſet, ita tamen materiam miniſtrauit vt verè & propriè maternum concurſum hac in parte præſtiterit: vnde habuit omnem efficientiam, quam neceſſe eſt habere fœminam vt vera mater ſit.

XXXVI.

Mater non tantum huius hominis ſcilicet Chriſti ſed etiam Mater DEI cum omnimoda proprietate dici debet. Quia humanitas Chriſti eodem temporis momento, quo perfectè in vtero Virginis formata fuit,

fuit, & existere in rerum natura incepit, fuit assumpta & vnita Deo hypostaticè. Quare hic homo Christus semper à primo instanti conceptionis suæ fuit Deus homo, & nunquam purus homo. Quia verò concepit hunc hominem & hic homo in ipsa conceptione fuit Deus, concepit Deum & est Mater Dei. Huic dignitati Virgineæ cultum hyperduliæ deferendum esse censeo; at Deo libertatis nostræ Vindici & Restitutori duliæ, cum summa per omnem æternitatem gratiarum actione, quod eam ad tantam ab æterno elegerit dignitatem, & nostram apud se constituerit Aduocatam.

Deo Vnigenito,
Semel Matri, Semper Virgini,
Honor & Gloria.